

Dicti Archidiaconi tamen et alii inferiores visitationis a se factae rationem reddere et acta omnia exhibere Episcopo infra mensem tenentur: Concil. Trident. loco cit. ibi: „Cui ipsi Archidiaconi vel alii inferiores visitationis factae infra mensem rationem reddere et depositiones testium ac integra acta exhibere teneantur, non obstantibus quacumque consuetudine etiam immemorabili atque exemptionibus et privilegiis quibuscumque.“ Immo Episcopus etiam per alium potest easdem Ecclesias seorsim ab his iterum visitare.“ Concil. Tridentin. loco cit. ibi: Sed non ideo Episcopus vel eo impedito ejus visitator easdem Ecclesias seorsim ab his visitare prohibeatur. At vero licet Episcopus possit iterum visitare Ecclesias visitatas ab inferioribus, non potest tamen iterum punitos ab eis neque ab illis absolutos cogere ad innocentiam suam demonstrandam; sic decisum fuisse refert Barbosa supra Conc. loco cit. n. 15. et Armendar. apud ipsum ibid.

Superiores generales Ordinum regularium provinciales et alii Praelati, quibus est in alia inferiora monasteria prioratusve legitima jurisdictio, habent jus visitandi monasteria aliaque loca sibi subjecta; cap.: *In singulis* et cap.: *Ea, quae*, de statu Monachor., Concil. Tridentin. sess. 21. de reformat. cap. 8. et sess. 24. de Regularib. cap. 20. et *Commun. Doctor.* praxi quotidiana id demonstrante. Si Ecclesia seu Abbatia saecularis nullius dioecesis sita sit in aliqua dioecesi, Visitatio spectat ad Ordinarium, in cujus dioecesi est Ecclesia Nullius. Sic decisum fuisse refert *Rota* par. 2. recent. dec. 501. apud Barbosam.

58) Laicorum.

Vd.: *Visit.* (Official. Cleri; Feminar.)

In Visit. Laic. peragenda est inquirendum de:

- 1) Ludimagistrorum moribus.
- 2) Fidei professione.
- 3) Medicorum accessu ultra dies ad inconfessos.
- 4) Bibliopolis (indices librorum).
- 5) Examen aliorum fit juxta: *Visitandi* n. 31. 32. arbitrio Episcopi.
- 6) Tripudiis in diebus festis.
- 7) Nundinis.
- 8) Comoediis turpibus.
- 9) Legatis non solutis.
- 10) Quaestuariorum abusu.
- 11) Vagorum et peregrinorum moribus.
- 12) Notariorum fori laicalis imperitia.
- 13) Meretricum nimia licentia.
- 14) Cauponum publicis vitiis.
- 15) Viduarum et pauperum necessitatibus.

Gavant. Merat. t. V. pag. 69
(Ed. Venet. 1823.)

59) Legatorum piorum.

In Visit. Leg. p. est inquirendum:

- 1) An in loco visitato praeter onera et legata missarum adsint alia legata pia adimplenda?
- 2) An de illis habeatur et retinetur nota in cancellaria episc. ac in libris Ecclesiae seu alterius loci pii visitati?
- 3) An adimpleantur?

(Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad I. t. post n. 267.)

60) Liminum ss. Apost. Petri et Pauli.

De visitandis, certis hic statutis temporibus, sanctorum Petri et Pauli de Urbe liminibus etc. ab Archiepiscopis, Episcopis et aliis Ecclesiarum primatibus.

Sixtus PP. V.

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex, beatissimi Petri apostolorum principis successor, in altissima militantis Ecclesiae specula divina dispositione collocatus, ex credito sibi apostolicae servitutis officio, omnium Ecclesiarum sollicitudinem habere totiusque domini gregis, qui unius sanctae catholicae et apostolicae Ecclesiae per universum orbem terrarum diffusae sacro ovili concluditur, curam gerere tenetur. Hujus vero tam gravis et ingentis oneris angelicis plane humeris formidandi magnitudinem ut facilius ferre posset, venerabiles fratres suos catholicos episcopos in partem suae sollicitudinis advocavit, qui tamquam seniores in populo Dei, pleni sapientiae spiritu, in sua quisque pastoralis vigilia excubantes, illius supremi in terris pastoris immensos labores sublevarent, in quo uno, Deo auctore, plenitudo residet potestatis. Nimirum ut, Episcoporum opere et adjumento, ubique locorum gregis sibi commissi vultum agnosceret et spiritualium ovium morbos intelligeret curationesque adhiberet atque, ex sui muneris officio, perditam requireret, abjecta reduceret, confracta alligaret, infirma consolidaret, pingua et fortia custodiret: denique assiduis pastorum vocibus admonitus, de toto Ecclesiarum singularum statu certior redderetur, ne quicquam omnino illum lateret earum rerum, quas ad Dei gloriam augendam, ad christianam religionem propagandam, ad animarum salutem procurandam necessario eundem scire atque intelligere oportet, ut, omnibus cognitis et examinatis, pro ea, quae sibi a Christo Domino tributa est summa potestate, alia in vinea Domini Sabaoth

evellat, alia plantet, alia aedificet, alia destruat, quemadmodum ex rerum et temporum conditione salubrius in Domino viderit expedire.

§. 1. Ob quas sane causas, jure optimo et Spiritus sancti instinctu, a sanctissimis Pontificibus praedecessoribus nostris jam ab antiquissimis temporibus institutum est et per multas aetates magno Ecclesiae Dei commodo observatum, ut singuli Episcopi, Archiepiscopi, Primates et Patriarchae, certis praescriptis temporibus, per se ipsos vel per certum eorum nuncium, omni occasione seposita, beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli, qui hanc almam Urbem suo sanguine consecrarunt, limina, tamquam fidei petram et totius sacerdotalis unitatis fontem, jurejurando se visitaturos pollicerentur atque ita S. R. E. matris suae complexu recreati et paterno Summi Pontificis colloquio roborati, ad Ecclesias suas regendas alacriores et instructiores redirent.

§. 2. Ceterum haec tam salutaris atque necessaria constitutio, partim antiqui humani generis hostis astutia variis etiam insurgentibus temporum calamitatibus, valde refriguit, aliis alia atque alia impedimenta praetextentibus, in grave animarum suarum periculum et quibus praesunt Ecclesiarum detrimentum. Nec vero dubitandum est, quod sine maximo animi moerore commemorare non possumus, perniciosissimas haereses, quibus multis jam annis, hominum peccatis ita promerentibus, Ecclesia vexatur et Christi Domini vestis dilaceratur, ex ejusmodi saluberrimae visitationis intermissione partim ortas esse, partim latentis progressionem magnum incrementum accepisse. Nam si celeriter in ipso nascentis mali initio ab ipsis episcopis pro rei gravitate ad roma-

num Pontificem relatum esset, sane illius providentia et auctoritate, statim venenatae stirpes ex agro Domini evulsae essent et diabolici ignis scintillae, subito oppressae atque restinctae, in tot flammis et luctuosa incendia non erupissent.

§. 3. Haec atque alia gravissima incommoda, cum primum ad summi apostolatus apicem, meritis licet imparibus, Deo ita volente, vocati sumus, attentius considerantes, non solum ex intimis animi sensibus indoluimus sed etiam de adhibendo remedio, divina gratia adjutrice, cogitare coepimus. Urget enim Nos Dei timor et acres animo nostro stimulos dies noctesque subjicit, quemadmodum in tremendo illius iudicio administrationis nostrae rationem reddamus. Nam si huic tanto malo, quod magis quotidie ingravescit, non occurramus, non possumus nobis ipsis non valde timere, cum crebro in mentem veniant et quasi aures nostras personent sacrae illae voces comminationis et terroris plenae: *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel et sanguinem ejus de manibus tuis requiram.* Et quod Petro a Domino dictum est: *Confirma fratres tuos.* Et illud Apostoli Pauli quod tanto magis ad nos pertinet, quanto majorem praeter ceteros pastoralis officii curam sortiti sumus: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Quocirca, eorumdem praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes simulque modum et temporum spatia Ecclesiarum earundem praesulibus, pro cuiusque intervallo et locorum distantia, moderantes, *hac perpetua constitutione sancimus, decernimus et mandamus ut omnes Patriarchae, Primate, Archiepiscopi, Episcopi, per universum terrarum orbem con-*

stituti et a Nobis deinceps ordinandi, etiamsi cardinalatus honore praefulgeant, antequam munus consecrationis suscipiant seu eis consecratis pallium beati Petri corpore sumptum tradatur, aut si ad aliam Ecclesiam transferantur, antequam illius regimini et administrationi se immisceant, si quidem praesentes in curia fuerint, in manibus S. R. E. diaconi cardinalis ordine prioris, si absentes, in manibus antistitis, qui ad impendendum munus praedictum aut ad tradendum pallium hujusmodi a Sede apostolica delegabitur, jurent, juxta formulam in libro Cancellariae apostolicae, quinterno appellato, nuper descriptam, se beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli limina, statutis in hac nostra constitutione temporibus, personaliter ac per se ipsos visitaturos ac Nobis et successoribus nostris pro tempore existentibus romanis Pontificibus rationem reddituros de toto eorum pastorali officio deque rebus ecclesiarum, quibus praesunt, statum ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quae illorum fidei creditae sunt, salutem quovis modo pertinentibus et vicissim mandata apostolica recepturos et quam diligentissime executuros.

§. 4. *Quod si legitimo impedimento detenti fuerint, jurent se praedicta omnia adimpleturos per certum nuncium ad id speciale mandatum habentem, de gremio suorum capitulorum aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum seu alias personatum habentem; aut si hujusmodi hominem ecclesiastica dignitate et personatu praeditum non habeant, per dioecesanum sacerdotem; et si clero careant, omnino per aliquem alium presbyterum, saecularem vel regularem, spectatae probitatis et religionis, de supradictis omnibus plene instructum. De hujusmodi autem impedimento docere de-*

beant per legitimas probationes ad dictum primum diaconum cardinalem per supradictum nuncium transmittendas.

§. 5. Quin etiam principes temporales, si quid, pro eorum pietate et erga hanc apostolicam sedem observantia, romano Pontifici voluerint significare, eosdem, sive episcopos sive alios, qui ab eis mittentur, fidos habebunt nuncios et relatores, quorum opera ab eadem Sede, pro illorum dominiis, ditionibus et rebus firmandis et cum Dei et sanctae religionis causa, sine qua tuto consistere haud possunt, conjungendis, opportuna sinceræ caritatis officia, consilia atque subsidia expectare certo poterunt.

§. 6. Ad hoc autem debitum visitationis officium commode explendum supradicti omnes Patriarchae, Primate Archiepiscopi et Episcopi, *Itali videlicet vel ex italicis insulis, unde in Italiam commodius trajici potest, veluti Siculi, Sardi, Corsi et alii adjacentium provinciarum Italiae ac etiam Dalmatiae et Graecarum, quae e regione ipsis Italiae et Siciliae oris sunt, tertio anno, Germani vero, Galli Hispani, Belgae, Bohemi, Ungari, Angli, Scoti, Ibernii et ceteri omnes, qui in Europa sunt citra mare germanicum et balticum ac omnium insularum maris mediterranei, quarto anno, et qui intra Europae fines sunt, his provinciis remotiores ac etiam Africani litoribus nostris adversi ac insularum maris Oceani septentrionalis et occidentalis Europae et Africae citra continentem novi orbis, tam qui nunc sunt, quam qui ad catholicam fidem per misericordiam Dei aliquando redierint, quinto anno, Asiatici vero et qui extra Asiam et in aliis novis terris orientalibus, meridionalibus, occidentalibus et septentrionalibus, tam in insulis quam in continentibus et denique in quibus-*

libet mundi partibus, *decimo anno iter suscipiant et, Deo concedente, perficiant.* Idemque institutum tertio quoque, quarto, quinto et decimo anno repetant et observent. Haec autem annorum spatia tempore suscepti muneris consecrationis vel pallii traditionis aut translationis, ut praefertur, incipiant. Quae ne longius differantur, volumus quod tempus quaecumque excursus alicui ex supradictis praesulibus, qui sive morte praeventus sive alia quacumque de causa, ob non finitum tempus ei praescriptum, dicta limina non visitaverit, ita illius successoribus effluxisse et excurrisse intelligitur, ut, termino ipso juxta praedecessoris sui jusjurandum completo, debitam tunc visitationem quamprimum conficere teneatur.

§. 7. Hi vero ex supradictis antistitibus, qui hactenus ab hac sancta sede ordinati sunt aut dictum pallium ab ea susceperunt aut ad aliam Ecclesiam translati sunt, prout cuique distantia locorum et temporum intervalva praescripta sunt, ad supradicta omnia observanda a die publicationis praesentis constitutionis omnino teneantur. Jubemus igitur, in virtute sanctae obedientiae, supradictis omnibus antistitibus, praesentibus et futuris, ut visitationem praedictam sibi suisque Ecclesiis adeo utilem ac necessariam juxta praescriptam formulam omnino conficiant.

§. 8. Si vero, quod absit, non egerint, eos ab ingressu Ecclesiae ac etiam ab administratione, tam spiritualium quam temporalium, necnon a perceptione fructuum suarum Ecclesiarum, a capitulis eorum, omni exceptione et mora cessante, interim libere exigendorum et in opus fabricae seu ornamentorum Ecclesiae emptionem, prout major exegerit necessitas, insu-mendorum, ipso facto tamdiu suspensos esse volumus, donec a contumacia

resipientes, relaxationem suspensionis hujusmodi a sede praedicta meruerint obtinere.

§. 9. Non obstantibus privilegiis, absolutionibus, indulgentiis et aliis concessionibus de non visitandis liminibus ejusmodi quibuscumque ecclesiarum praelatis et per quoscunque romanos pontifices ac etiam Nos et dictam sedem, ex quibusvis causis perpetuo vel ad tempus, concessis, extensis et innovatis.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 20. Dec. 1585.

(Bull. r. t. VIII. p. 641. Ed. Aug. Taur. 1863.)

Ab abbatibus aliisque habentibus monasteria seu ecclesias cum jurisdictione quasi episcopali et territorio separato facienda.

Benedictus PP. XIV.

Confirmatur constitutio PP. Sixti V. eaque extenditur ad abbates aliosque habentes monasteria seu ecclesias cum jurisdictione quasi episcopali et territorio separato.

Quod sancta sardicensis synodus divino edocta magisterio edixit, optimum et valde congruentissimum esse, si ad caput idest ad Petri apostoli sedem de singulis quibusque provinciis domini referant sacerdotes, attenta animi consideratione evolentes, ubi primum Nos, licet immeritos, dominus gratiae suae praecipuo munere in eadem sede collocavit, ea subiit cogitatio, ut cunctarum totius orbis ecclesiarum ad parvitatem nostram status et negotia referrentur, quibus necessitatem de omnibus tractandi Christus in s. Petro apostolo, cum illi claves aperiendi claudendique daret, indulsit. Siquidem in speculis a deo constituti et vigilantiae nostrae diligentiam pro commissi officii munere coram eo

comprabare cupientes noctes diesque solliciti sumus, ut circa quamvis longinqua spiritualis cura non deficiat, sed se per omnia, ubi nomen dei praedicatur, extendat, memores illius objurgationis dominicae: „quod infirmum fuit, non consolidastis et quod aegrotum, non sanastis, quod confractum est, non alligastis et quod abjectum est, non reduxistis et quod perierat, non quaesistis et dispersae sunt oves meae, eo quod non esset pastor et factae sunt in dovorationem omnium bestiarum agri et dispersae sunt; erraverunt greges mei in cunctis montibus et non erat qui requireret, ecce ego ipso super pastores requiram gregem meum de manu eorum.“ Cum ergo pastoribus talibus, per quos dominicae oves negliguntur et pereunt, sic dominus comminetur, quid Nos aliud facere oportet quam colligendis et refovendis Christi ovibus exhibere diligentiam plenam et curandis lapsorum vulneribus paternae pietatis adhibere medicinam? Nulla est enim major aut melior cura praepositorum, quam diligenti sollicitudine et medela salubri fovendis et conservandis ovibus providere.

§. 1. Dudum quidem fel. rec. Sixtus PP. V. serio animadvertens veterem et laudabilem morem, gravissimis ex causis et non sine Spiritus sancti instincto a Summis Pontificibus Praedecessoribus nostris antiquitus institutum et per multas aetates magno Ecclesiae Dei commodo observatum, ut singuli patriarchae, primates, archiepiscopi et episcopi certis praescriptis temporibus per se ipsos vel per certum eorum nuntium beatissimorum apostolorum Petri et Pauli, qui hanc alman urbem suo sanguine consecraverunt, limina se visituros jurejurando pollicerentur, ut episcoporum Romam venientium opera et adjumento romanus pontifex, cui omnium ecclesiarum

sollicitudo concredita est, ubique locorum gregis sibi commissi vultum agnosceret et spiritualium ovium morbos intelligeret curationesque oportunas adhiberet, nec quicquam omnium illum lateret earum rerum, quas ad Dei gloriam augendam, ad christianam religionem propagandam, ad animarum procurandam salutem necessario eundem scire atque intelligere oportet, partim hominum culpa partim antiqui humani generis hostis astutia, variis etiam insurgentibus temporum calamitatibus, a plurimis, in grave animarum suarum periculum et quibus praerant ecclesiarum detrimentum, negligenter observari, ex intimis animi sensibus indoluit et statim gravi malo quotidie magis ingravescenti occurrere et congrua adhibere remedia cogitavit.

§. 2. Itaque per suas apostolicas literas, quarum initium est: *Romanus pontifex*; constituit, ut omnes patriarchae, primates, archiepiscopi per universum terrarum orbem constituti et deinceps ordinandi, etiamsi cardinalatus dignitate praefulgerent seu eis consecratis pallium de beati Petri corpore sumptum traderetur aut ad aliam ecclesiam transferrentur, antequam illius regimini et administrationi se immiscerent, si quidem praesentes in curia, in manibus sanctae romanae ecclesiae diaconi cardinalis, ordine prioris, si vero absentes, in manibus antistitis ad impendendum munus praedictum aut ad tradendum pallium hujusmodi a sede apostolica delegati, juramento se obstringerent se beatorum apostolorum Petri et Pauli limina, statutis in iisdem literis temporibus, personaliter ac per se ipsos visituros ac romanis pontificibus pro tempore existentibus rationem reddituros de toto eorum pastorali officio, deque rebus omnibus ad ipsarum, quas regerent, ecclesiarum statum, ad cleri et

populi disciplinam, animarum denique, quae illorum fidei creditae sunt, salutem quovis modo pertinentibus et vicissim mandata apostolica recepturos et quam diligentissime executuros, prout latius in iisdem literis continetur.

§. 3. Cum autem abbatum, priorum aliorumque, qui spirituali jurisdictione quasi episcopali in suis monasteriis et ecclesiis eorumque territoriis ab omni alia episcoporum dioecesi omnimode separatis potiuntur, nulla mentio in praefatis literis Sixti facta fuerit, hinc est, quod abbates alique, qui hujusmodi ecclesiis et monasteriis praerant cum jurisdictione spirituali et territorio separato, nunquam beatorum apostolorum limina visitantes de iisdem ecclesiis et monasteriis et grege curae suae commisso ad romanos pontifices referrent, adeo ut hujusmodi monasteriorum et ecclesiarum, quae nullius dicuntur, status et conditio sedi apostolicae incognita esset et saepe ignorarentur mala, quibus medendum esset, et laterent bona, quae apostolica cura et studio essent fovenda et amplificanda.

§. 4. Nos igitur cupientes omnium ecclesiarum utilitati et animarum saluti, quantum in domino possumus, consulere ac providere, cum de omnibus et quod tremendum est etiam de unius anima ante tribunal Dei rationem redituri simus tum etiam volentes ea, quae salubriter a praedecessoribus nostris instituta sunt, exactius diligentiusque observari, ideo easdem literas Sixti V. praedecessoris et in eis contenta quaecumque, ex certa scientia et apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus ac etiam innovamus omnibusque patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis mandamus et praecipimus, ut eas sedulo ac diligenter et omnia in eis praescripta observare ac custodire studeant et apostolicae sedis mo-

nitis ac praeceptis in re tanti momenti ea reverentia atque animi cura et promptitudine, qua par est, pareant atque obsequantur et antiquae traditionis exempla servantes et ecclesiasticae memores disciplinae sacerdotalis religionis vigorem non minus in iudicando quam in consulendo retineant scientes quid apostolicae sedi cum omnes hoc loco positi ipsam sequi desideremus apostolum, debeat, a quo ipse episcopatus et tota auctoritas nominis huius emerit.

§. 5. Praeterea scientia et auctoritate praedicta hac nostra in perpetuum valitura constitutione sancimus, decernimus et mandamus, ut omnes et quicumque abbates, priores, praepositi aliique quocumque nomine ac titulo nuncupati et quacumque dignitate, etiam cardinalatus honore insigniti, saeculares et quorumvis ordinum regulares ad monasteriorum seu ecclesiarum particulare et separatum territorium habentium regimina jam promoti et imposterum pro tempore, etiam per viam electionis, postulationis aut aliter quovis modo promovendi et monasteria seu ecclesias huiusmodi in titulum, commendam, administrationem aut aliter quomodolibet obtinentes vel imposterum assecuturi, qui videlicet spirituales jurisdictionem, quasi episcopalem cum temporali etiam, vel sine, in monasteriis et ecclesiis praedictis eorumque territoriis, districtibus et quasi dioecesibus ab omni alia episcoporum dioecesi omnino sejunctis et separatis, quocumque jure et titulo, vel ex origine vel praescriptione vel ex indulto et privilegio apostolico exercent, antequam eorundem monasteriorum seu ecclesiarum possessionem adipiscantur et in eorum regimine et administratione de aliquo immisceant, siquidem praesentes in curia fuerint, in manibus S. R. C.

diaconi cardinalis ordine prioris, si vero absentes in manibus nuntii aut legati Sedis apostolicae, si praesens fuerit, sin minus in manibus alicujus episcopi aut archiepiscopi eorum arbitrio eligendi, cum romana tamen ecclesia ecclesiasticam communionem habentis, tamquam ejusdem apostolicae sedis delegati, jurent, juxta formulam inferius describendam, se sacras beatorum apostolorum Petri et Pauli memorias personaliter ac per se ipsos visitaturos ac insuper Nobis et successoribus nostris pro tempore existentibus romanis pontificibus, statutis temporibus, rationem reddituros de commissa sibi monasteriorum et ecclesiarum procuratione innotitiam nostram, nostrorumque successorum perferente quacumque ad ipsorum monasteriorum et ecclesiarum statum et ecclesiasticae disciplinae in clero et populo observantiam, ad animarum salutem, quae illorum fidei creditae sunt, et ad divinum cultum et gloriam pertinent, vicissim recepturos a sede apostolica monita et mandata, quorum censura et quae coercenda sunt, resciantur et quae bene coepta atque instituta approbatione et confirmatione nostra nostrorumque successorum ad debitum finem perducantur.

§. 6. Quod si legitimo impedimento detenti fuerint, jurent, se praedicta omnia adimpleturos per certum nuntium ad id speciale mandatum habentem et de gremio suorum monasteriorum et ecclesiarum, in dignitate ecclesiastica saeculari vel regulari constitutum, aut omnino per aliquem sacerdotem saecularem vel regularem spectatae probationis et religionis, de supradictis omnibus plene instructum, per quem etiam de huiusmodi impedimento docere debeant legitimis probationibus ad sanctae romanae ecclesiae

cardinalem praefectum congregationis sacri concilii transmittendis.

§. 7. Ad hoc autem debitum visitationis suorum monasteriorum et ecclesiarum officium oportune explendum supradicti omnes abbates, praepositi, priores et quocumque alio dignitatis vel officii nomine nuncupati, tam regulares quam saeculares, Itali videlicet vel ex italicis insulis, veluti Siculi, Sardi, Corsi et alii adjacentium provinciarum Italiae, tertio anno, reliqui vero in aliis provinciis, regnis et terrarum orbis partibus et regionibus existentes, tam qui nunc sunt quam qui imposterum erunt, quinto anno teneantur, diligenterque pro viribus adimplere Nobisque et nostris successoribus exhibere studeant ac curent, idemque institutum tertio quoque et quinto anno repetant et observent. Haec autem annorum spatia a tempore captae possessionis et suscepti monasteriorum et ecclesiarum regiminis et curae incipiant.

§. 8. Ji vero, qui de ecclesiis et monasteriis huiusmodi jam provisi, in earum pacifica possessione a biennio et amplius reperiuntur vel quibus praefinitum a Nobis superius tempus a die habitae possessionis jam effluxit intra annum, si in Italia et Insulis adjacentibus, intra vero biennium, si extra sint, a die publicationis praesentis constitutionis, ad Nos praefatam suarum ecclesiarum relat. et deinde singulis trienniis aut aliis praestitutis temporibus pro locorum conditione et distantia, ad Nos transmittere et sacras apostolorum basilicas visitare et nostro conspectui, dummodo impediti legitime non fuerint, se praesentes sistere debeant, ut S. R. E. matris suae complexu recreati et paterno humilitatis nostrae colloquio confirmati ad monasteria et ecclesias suas regendas alacriores et instructiores revertantur.

§. 9. Jubemus igitur in virtute sanctae obedientiae supradictis omnibus abbatibus, prioribus, praepositis aliisque quocumque titulo vel nomine nuncupatis vel quacumque dignitate praefulgentibus tam regularibus quam saecularibus praesentibus et futuris, ut visitationem praedictam et insuper relationem statutis a nobis temporibus faciendam sibi suisque monasteriis et respective ecclesiis adeo utilem ac necessariam juxta praescriptam alias episcopis formam omnino conficiant; si vero, quod absit, a Nobis praeepta et constituta prompte exequi neglexerint, eos ab ingressu ecclesiae ac etiam ab administratione tam spiritualium quam temporalium, necnon a perceptione fructuum suorum monasteriorum et respective ecclesiarum ab episcopo vel archiepiscopo monasterio aut ecclesiae nullius viciniori, omni exceptione et mora cessante, interim libere exigendorum et in opus fabricae seu ornamentorum ecclesiae emptionem, prout major exegerit necessitas, insumendorum, ipso facto tamdiu suspensos esse volumus, donec a contumacia resipiscentes, relaxationem suspensionis huiusmodi a sede praedicta meruerint obtinere.

§. 10. Non obstantibus privilegiis, absolutionibus, indulgentiis et aliis concessionibus de non visitandis limitibus ejusmodi aliisque peragendis, quibuscumque ecclesiarum et monasteriorum rectoribus et per quoscumque romanos pontifices ac etiam Nos et dictam sedem ex quibusvis causis perpetuo vel ad tempus concessis, extensis et innovatis, quae omnia contra praemissa cuiquam nolumus suffragari aliisque contrariis quibuscumque.

§. 11. Formula autem juramenti praestandi ab abbatibus aliisque monasteria seu ecclesias habentibus cum

jurisdictione quasi episcopali et territorio separato talis est:

Ego N. ab hac hora fidelis et obediens ero B. Petro apostolo sanctaeque romanae ecclesiae et domino nostro, Benedicto PP. XIV. suisque successoribus canonice inrantibus. Non ero in consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum seu capiantur mala captione aut in eos violenter manus quomodolibet ingeratur vel injuriae aliquae inferantur quovis quaesito colore. Consilium vero, quod mihi credituri sunt, per se aut nuntios suos seu literas ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Papatum romanum et regalia sancti Petri adjutor eis ero ad retinendum et defendendum, salvo meo ordine, contra omnem hominem. Legatum apostolicae sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adjuvabo. Jura, honores, privilegia et auctoritatem S. R. E., domini nostri PP. et successorum praedictorum conservare, defendere, augere et promovere curabo. Neque ero in consilio vel facto seu tractatu, in quibus contra ipsum dominum nostrum vel eandem romanam ecclesiam aliqua sinistra vel praejudicialia personarum, juris, honoris, status et potestatis eorum machinentur. Et si talia a quibuscumque tractari vel procurari novero, impediam hoc pro posse et quanto citius potero significabo eidem domino nostro vel alteri, per quem possit ad ipsius notitiam pervenire.

Regulas sanctorum patrum, decreta, ordinationes seu dispositiones, reservationes, provisiones et mandata apostolica totis viribus observabo et faciam ab aliis observari. Haereticos, schismaticos et rebelles eidem domino nostro vel successoribus praedictis pro posse persequar et impugnabo. Sacras BB. apostolorum memorias singulis

trienniis personaliter ac per me ipsum visitabo et domino nostro successoribusque praefatis rationem reddam de commissio mihi munere deque rebus omnibus ad mei monasterii seu ecclesiae statum, ad cleri et populi disciplinam animarumque denique, quae meae fidei creditae sunt, salutem quovis modo pertinentibus et vicissim mandata apostolica humiliter recipiam et quam diligentissime exequar: quod si legitimo impedimento detentus fuero praedicta omnia adimplebo per certum nuntium ad hoc speciale mandatum habentem de gremio conventus monasterii mei aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum seu alias personatum habentem, aut, his mihi deficientibus, per aliquem alium presbyterum saecularem vel regularem spectatae probitatis et religionis, de supradictis omnibus plene instructum. De hujusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad S. R. E. cardinalem congregationis sac. Concilii praefectum per dictum nuntium transmittendas. Possessiones vero ad monasterium meum pertinentes non vendam nec donabo neque impignorabo nec de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu conventus monasterii mei, inconsulto romano pontifice. Et si ad aliquam alienationem devenero, poenas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo. Sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei evangelia.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum licet hanc paginam nostrae voluntatis, constitutionis, decreti, statuti, hortationis et monitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud sanctam Mariam majorem die 23. Nov. 1740.

P. Card. Prod.

D. Card. Passioneus.

Visa de Curia.

N. Antonellus.

I. B. Eugenius.

Registrata in secretaria Brevium.

Publicatum die 15. Dec. 1740.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 19.)

Si episcopus habeat coadjutorem ab ap. sede datum, sufficit, si coadjutor nomine episcopi adeat, sicut etiam sufficit, si mittatur administrator episcopatus, qui debet visitare limina suo et principalis sui nomine.

Synod. dioeces. Bened. XIV. l. 16. c. 6. §. 5.

Id etiam praestandum est ab episcopo titulari ut ex Fagnano aliisque probatur. *Ibid. §. 5.*

Denique nec eximuntur episcopi ecclesiarum suburbicariarum, quamvis exempti sunt a residentia. *Decr. consist. Alexd. XII. Ibid. §. 6.*

61. Localis et mater.

Vd.: *Visit. (Monaster., eccles., orat., capellar.) Visit. (res. visit.)*

Index locorum ab Episcopo visitandorum.

1. Confici curet episcopus a cancellario episcopali locorum indicem visitandorum, quem in visitatione perficiet. Vd.: *Visit. Ep. (modus.)*

2. Haec autem sunt de ejusdem immediata jurisdictione: et primo ecclesia cathedralis.

3. Ecclesiae collegiatae cum aedibus canonicorum.

4. Parochiales cum aedibus Parochorum.

5. Beneficiatae eccles.

6. Quaecumque aliae, etiam sacella, oratoria, ubi celebratur missa, et confratris, Trid. sess. 22. c. 8.

7. Item ea oratoria, quae sunt in viis, et ubi non celebratur missa.

8. Hospitalia et loca pia, sess. 22. cap. 8. et collegia quaecumque, *ibid.*

9. Monasteria Monialium sub Ordinario.

Alia sunt loca cum limitatione visitanda nimirum:

10. Monachorum et regularium ecclesiae, ubi est animarum cura. Trid. sess. 7. cap. 7.

11. Monialium monasteria sub regularibus, quae clausuram habent. Trid. sess. 15. cap. 5.

12. Ecclesiae, quae sunt nullius dioecesis, a viciniori episcopo visitantur, sess. 24. cap. 5.

13. Monasteria virorum, ubi non viget regularis observantia, sess. 21. cap. 8.

14. Beneficia quaecumque et qualitercumque commendata, *sess. eadem.*

Gavant. Merat. t. 5. p. 63. (Ed. Venet. 1823.)

Index decernendorum in visitatione locali et materiali.

Peritus sacrorum canonum episcopus, decretorum synodaliū et communioris usus ecclesiae catholicae quaedam statim decernet et in ipso visitationis actu exequetur, quaedam maturius, circa finem Visitacionis locorum et personarum.

Decernet statim et singillatim ea, quae sequuntur:

1. Altarium demolitionem ubi facienda est.